



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXXIII. Gregorii Papae I. Ad venantivm Episcopvm Lvnensem. De
presbyteris & diaconis Aldioni ordinandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

minus castigat, flagellat autem omnem filiū quem recipit. Hinc per
semetipfam Veritas dicit: Pater meus agricola est, & omnem
palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: omnem vero qui
fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Palmes enim
infructuosus tollitur, quia peccator funditus eradicatur. Palmes vero fructuosus purgari dicitur, quia per discipli-
nam reciditur, ut ad vberiore[m] gratiam perducatur: sic
enim spicarum grana tribulis attrita, aristis & paleis nu-
dantur: sic oliuæ prælo pressæ, in olei pinguedinem de-
fluunt: sic botri vinearum tunsi calcibus, in vinum li-
quescunt. Gaude igitur, bone vir, quia in hoc flagello tuo
& prouectu conspicias, quod ab æterno iudice amaris. Præ-
terea filiam meam Gloriosam coniugem vestram mea
peto vice salutari. Omnipotens autem Deus cælesti vos
protectione custodiat, vosque & modo consoletur de
largitate donorum, & postmodum de retributione præ-
miorum.

EPISTOLA XXXIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD VENANTIVM EPISCOPVM LVNENSEM.

De presbyteris & diaconis Aldioni ordinandis.

Gregorius Venantio episcopo Lunensi.

QVOTIENS ea quæ hortari nos conuenit postulamus,
 moras ad concedendum facere non debemus, ne
 differre bona desideria, quæ magis fouenda sunt, videamur.
 Et ideo quia gloriosus Aldio magister militum in ciuitate
 ipsius presbyteros vel diaconos omnino, sicut suis nobis
 epistolis indicauit, desiderat ordinari, eos qui ad
 consecrandum eliguntur fraternitas vestra diligenter in-
 quirat. Et si nihil est quod canonice eorum ordinationem
 impediatur, Deo illos propitio studeat ordinare. Cum qui-
 bus etiam loqui vos conuenit, ut adhortationis suæ solici-
 tudine degentem illic populum ab infidelitate reuocare,
 ac contendant a gentiliū cultu suspendere, atque eos in
 omnipotentis Dei doceant timore persistere, & præmia
 æternæ vitæ diligere; quatenus hæc consecratio & illis an-
 te Deum ad gloriam, & habitanti illic populo proficiat ad
 salutem.